

ÆS O P I

† De Vulpe, & Larua.

Vulpes cùm in mimi domum profecta esset, singulaq; eius vasa considerassèt, laruæ caput inuenit summo artificio fabricatum: quod cùm in manibus sumpisset, ait: O quale caput, si cerebrum haberet.

Fabulæ explicatio.

Hæc fabula pertinet ad homines, corpore quidem illustres, animo verò inconsultos, & dementes.

† De Carbonario, & Fullone.

Carbonarius cùm in domo quadam habitaret, fullonem rogabat, vt ad cum eo habitandum immagriret. Fullo autem respondens ait: Non equidem id facere possum, malè enim metuo ne quæ ego dealbauero, fuligine tu repleas.

Fabulæ explicatio.

Hæc fabula nos docet, eos, qui dissimili ingenio sint, societatem colere non posse.

† De Piscatoribus.

Quidam piscatores suum rete trahebant, quod cùm graue esset, lætabantur, atq; exultabant, multam prædam inesse existimantes: verùm cùm illud ad littus subduxissent, pauculos quidè pisces inuenerunt, lapidem verò satis grandè. Cœperunt itaq; ea ex re maxima tristitia & mœrore affici, non tam quidem ob piscium paucitatem, quàm quòd contrariam opinionem animo conceperant

Qui-